

neant documenta, facile, ut spero, ostendemus. Atque *Josephus* quidem conditionatè saltem extirpatam à Judæis balsamiferam arborem refert: *nisi scilicet ab instituto, per milites depulsi* lib. 12. c. 25. *invidi fuissent.* Et expressè *Plinius* citato loco: *Contra, inquit, defendere Romani, & dimicatum pro frutice est.* Idem ab initio jam dixerat: *Clarumque dictu, à Pompejo Magno: In triumpho quoque arbores duximus. Servit nunc hac & tributa pendit cum sua gente.* Taceo, stultam, de ullius speciei corporum naturalium interitu, formidinem esse, ac haberi jure posse. Præterea falsò dixit *Plinius*: *uni terrarum Judææ concessum esse balsamum.* Ego verò *Diodori Siculi*, lib. 2. *Biblioth. Hist. Strabonis* lib. 16. *Geograph. & Pausan* lib. 9. *Bæoticorum*, auctoritate & experienciâ, testimoniis indubitata conciliante fidem, fretus rehero: *Unam Arabiam optimum, spontè etiam proferre balsamum.* Judæam quòd attinet, in eandem, per Sabæam Reginam ex Arabia, Balsami plantam, Regi Salomoni dono primùm collatam, atque ex ea reliquas, deinde propagatas, è *Josepho*, rerum Judaicarum Scriptore, cum antiquissimo tum diligentissimo refert *Experientissimus Vir Michaël Döringius*, in, de opobals. diatrib. c. 2. p. 8.

§. VIII. Nunc evictâ balsami existentiâ adhuc superstite, naturam plantæ introspeciemus penitiùs. Non malè, si ordinem excipias, eam, Naturæ Panegyristes, (quo *Plinium* titulo *Muretus* mactat, volum. 2. orat. 13.) sequentibus depinxit: Viti similior est, quàm myrto. Malleolis seri dicitur. Tondetur similiter fruticans, ac rastro nitescit, properatque nasci, intra tertium annum fructifera. Folium proximum rutæ perpetuâ cornâ. Proceritas intra bina cubita subsistit. Arbori tria genera. Tenui & capillaceâ cornâ, quod vocant eutheriston. Alterum scabro aspectu, incurvum, fruticosum, odoratius: Hoc trachy appellant. Tertium eumeces, quia est reliquis procerius, levi cortice. Huic secunda bonitas, novissima eutheristo. Semen ejus vino proximum, gustu, colore ruffum, nec sine pingui: pejus in grano quod levius atque viridius. Ramus crassior, quàm myrrho, inciditur vitro, lapide, osseisve cultellis. Ferro lædi vitalia, odit. Succus è plagâ manat, quem opobalsamum vocant, svavitatis eximiæ, sed tenui guttâ, ploratu, la-

nis